



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

122 Optio actionis in contractibus his co[n]tra nom implentem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

conscijs sunt iniustæ tergiuersationis & appellationis friuolæ; G. verò deceptum illuc profectum fuisse atque rem totam gestam retulisse Summo Pontifici, qui iudices tandem delegatos hic nominatos & expressos dedit. Antiquiores plerique Doctores nostri, Innocentius nimirum quartus, Ioannes Andreæ, Antonius de Butrio, similesque, sic accipiunt hoc nostrum capitulum quasi principaliter in eo decideret Pontifex, eos qui beneficia sua permutant auctoritate propria priuandos iis esse nisi simplicitate quadam & non malitia peccauerunt, quo casu simplicitati parcendum esse; atque ita capitulum hoc meram continere gratiam: sed longè tum verior tum iuri permutationum perpetuo conformior est Floriani & Ioan. Imolensis & Zabarellæ Cardinalis & aliorum recentiorum summaria capituli huius comprehensio principalis quam præmisimus initio. Nam cum rerum permutatio referatur inter contractus innominatos toto tit. *π.* de rer. permutat. pœnitentiæ locus est re integra l. 3. in principio. vers. sed si tibi. & vers. quid sita. *π.* de condict. caus. dati caus. non secut. Res autem dicitur integra illi cui contractus non est impletus, non autem illi cui iam impletus est contractus iuxta Glossographum & DD. ad l. 1. *π.* de condict. caus. dati caus. non secut. Ideoque G. hoc loco deceptus ab L. optionem habuisset agendi vel pro permutacionis impletione (nisi simoniaca fuisset vel aliquid saltè simoniæ sapuisset) vel ad beneficij sui re-

120
Antiquorum
de huius cap.
arg. sententia.

121
Pœnitentiæ lo-
cus in cōtra-
ctibus inno-
minatis. Et
quatenus et
quandiu.

122
Optio actio-
nis in cōtra-
ctibus his
contra non
impletens.

fui restitutionem per cōditionem, l. naturalis, in princ. vers. sin autem rem do. & l. si tibi decem. 7. de præscript. verb. & in fact. act. l. quoniam. C. de rer. permutat. quo postremo quidem loco proponitur permutatio per similes huic nostræ; quandoquidem fundus cum domo quadam permutatus erat, & is qui fundum acceperat domū vicissim non reddiderat; unde & per Imperatores contra non implentē conceditur implenti vel eius heredibus optio vel impletionis perurgendæ vel fundi sui repetendi. Sed obijcitur aduersus hanc optionis facultatem locus Pauli IC. in fin. l. 1. 7. de rer. permut. scribentis, ex altera compermutantium parte traditione facta si alter rem tradere nolit, nō in hoc nos acturos utiq; quod interest nostra illā rem accepisse de qua vicissim reddenda conuenit, sed cōtrā, ut res nostra nobis reddatur cōditioni locum esse quasi re non secuta. quid magis optioni contrarium? respondent vnanimitè omnes Interpretes nostri post Glossographum in d. l. 1. ad verb. *agemus*, & rectissime respondent, verba Ic. hæc non in hoc *agemus* ita sumenda esse id est non in hoc solum seu tantum seu dumtaxat *agemus*, at vel in hoc vel in aliud prout nos ipsimet maluerimus. id quod & modò memoratæ leges apertissime docent & ratio viua suadet, cum pœnitendi facultas illa legis beneficiū sit implenti, non autē præiudicium; & quod ob gratiā alicuius conceditur in eiusdē dispendiū non sit retorquendum. c. quod ob gratiam. de regul. iur. in 6. Nec

123
Sent. l. 1. in
fin. 7. de rer.
permut.

infr-